

Et si membra 10. de his, quæ sunt a Prælati-
num. 2. in verb. Nuncii, et Joann. Andreas
ibid. num. 3. Præpositus in cap. Propter
Ecclesiasticos, dist. 18. num. 9. vers. Aliter;
Innocent. in cap. Grave, de præbend. num. 8.
Abbas in dict. cap. Et si membra num. 2.
Fagnan. ibid. n. 40. et seq. (24. Sic etiam
Abbates Commendarii in Conciliis Provin-
cialibus habent dumtaxat votum consulti-
vum, ut decisum fuisse a Sacr. Congreg.
Concil. refert Fagnan. loco cit. n. 33.

(25. Ad Concilia Provincialia vocari, et
intervenire debent generaliter loquendo om-
nes, qui de Jure, vel consuetudine interve-
nire solent, textu expresso in Concil. Tri-
dent. dict. sess. 24. cap. 2. ibi: « Episcopi
omnes et alii qui de Jure, vel consuetudine
interesse debent, convenire omnino tenen-
tur, » et sess. 25. cap. 2. ibi: « Patriarchis,
Primitibus, Archiepiscopis, Episcopis et
omnibus aliis, qui de Jure, vel consuetudine
in Concilio Provinciali interesse debent. »

(26. Sic etiam generaliter loquendo ad Con-
cilia Provincialia accedere possunt pro justi-
tia assequenda omnes, qui se gravatos existi-
mant, textu expresso in cap. Propter Eccle-
siasticos 1. dist. 18. ibi: « In ipsis autem
Conciliis, et Presbyteros, et Diaconos præ-
sentes esse oportet, et omnes quotquot se
lætos existimant. » (27. Laici autem non per-
mittuntur interesse Conciliis Provincialibus,
nisi ad Justitiam petendam, vel defendendam;
cap. Novit, de Judic. cap. 1. de Sponsalibus;
in Ecclesiasticis enim negotiis, et ubi tracta-
tur de Clericorum correctionibus, non sunt
vocandi Laici, immo omnino sunt excludendi;
argum. cap. Messana, de elect. Et Sacra
Congr. Concil. non approbat dictam vocatio-
nem, ut in Oriolen. 27. Martii 1632. et nul-
lum Jus habere Laicos petendi assistentiam
in Synodo denegando remissoriam, resolvit
in Lycien. 10. Januarii, et 10. Aprilis 1688.

(28. Omnes, qui de Jure, vel consuetudine in-
teresse tenentur Conciliis Provincialibus, si
vocati non compareant, cessante legitimo
impedimento, puniuntur; cap. Pervenit 6. et
cap. Placuit 1. dist. 18. et textu expresso in
Concil. Trid. d. sess. 24. cap. 2. in fin. ibi:
« Quod si in his tam Metropolitanis, quam
Episcopis, et alii superscripti negligentes
fuerint, pœnas Sacris Canonibus sancitas in-
currant. » (29. Pœna autem contra ipsos
non interessentes sine legitimo impedi-
mento, vel contra illicitos discedentes,
est Excommunicatio; et contumax vocatur
ille, qui illicitus recedit. Decius in
cap. 1. de Judiciis n. 43. Quaranta quæsit.
11. et 18. et faciunt cap. Non oportet
7. cap. Pervenit 6. cap. Episcopus 9. cap.
Placuit 10. cap. Si quis 12. cap. Si quis Epi-
scopus 13. et cap. Si quis Episc. 14. dist. 18.
(30. Talis vero Excommunicatio privat so-
lummodo communionem aliorum Episcopo-
rum usque ad futurum Concilium textu ex-
presso in cit. cap. Si quis Episcoporum 14.
dist. 18. ibi: « Si quis Episcoporum com-
monitus a Metropolitanis ad Synodum, nulla
gravi necessitate intercedente corporali,
venire contempserit, sicut statuta Patrum

saxerunt, usque ad futurum Concilium
cunctorum Episcoporum charitatis commu-
nionem privetur. » (31. Poterunt tamen tales
non interessentes contumaces insuper a
communionem fidelium segregari, et aliis
pœnis Canonibus per Metropolitanum affici,
sed prævia trina monitione; cum ad incur-
rendam veram Excommunicationem, tribus
vicibus debeat quis citari; cap. 1. de sentent.
Excommunicationis in 6. ubi ad infligendam
dictam primam pœnam, cum non sit vera
Excommunicatio, et sit sola pœna Canonica,
sufficit unica monitio; Card. Petra l. c. n. 111.

(32. Concilia Provincialia secundum anti-
quos Canones debebant celebrari bis in
anno per singulas Provincias; c. de Conciliis
2. c. Habeatur 3. c. Propter Ecclesiasticos 4.
et c. Pervenit dist. 18. Semel quidem ante
dies Quadragesimæ, secundo vero circa
tempora Autumnii; ut expresse in d. c.
habetur. Vel semel post tertiam Hebdoma-
dam Paschæ; et secundo idibus Octobris, ut
expresse in d. c. Propter Ecclesiasticos.

(33. Postea tamen in sexta Synodo Univer-
sali talis antiqua Constitutio fuit correctæ,
ac propter fatigationem, et ut opportuno
haberentur ad iter agendum, qui congre-
gandi erant, a Sanctis Patribus definitum
fuit, ut omnibus modis hoc Concilium fieret
semel in anno; ut expresse in c. Quoniam
quidem 9. dist. 18. et hoc statutum sextæ
Synodi innovatur, et præcipitur observari
in cap. Sicut olim 25. de accusationibus, ibi:
« Sicut olim a Sanctis Patribus noscitur
institutum, Metropolitanis singulis annis cum
suis Suffraganeis Provincialia non omittant
Concilia celebrare, » et c. Cum sit 16. de
Judæis, ibi: « Per Provinciale Concilium,
quod singulis annis præcipimus celebra-
ri, » etc. (34. Verum quia neque hoc serva-
bant Metropolitanis, idcirco in Concilio Late-
ranensi V. sub Leone X. anno 1517. sess. 10.
Constitut. incip. Regimini, circa finem §
Matura quoque consideratione, tom. 4. Con-
ciliarum part. 2. pag. 99. col. 1. antiqua
Jura fuerunt correctæ, et statutum fuit, ut
de cætero Concilia Provincialia fierent sin-
gulis trienniis; quod et fuit iterum expresse
ordinatum in Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de
reform. ibi: « Ut Provincialia Concilia sic-
ubi ommissa sunt, pro moderandis moribus,
corrigendis excessibus, controversiis com-
ponendis, aliisque ex Sacris Canonibus per-
missis renoventur. Quare Metropolitanis per
se ipsos, seu illis legitime impeditis, Coepi-
scopus antiquior, intra annum ad minus a
fine præsentis Concilii, et deinde quolibet
saltem triennio post Octavam Paschæ Resur-
rectionis D. N. J. C. seu alio commodiori
tempore pro more Provinciae non prætermittant
Synodum in Provincia sua cogere. »

(35. Ex quibus verbis habes, quod Metro-
politani possint quidem intra triennium etiam
pluries Synodum convocare, si id expedire
judicetur, ut clare patet ex illa dictione
saltem; sed ultra triennium protrahere non
debet, ut patet clare ex illis verbis non
prætermittant.

(36. Immo Metropolitanus omittens, et

negligens celebrare Concilium Provinciale
intra triennium subjacet pœnis Canonibus;
ex cap. Quoniam quidem dist. 18. et incurrit
pœnam Suspensionis a sui executione Officii,
ut expresse statuitur in d. c. sicut olim 25.
de occupationibus, ibi: « Quisquis autem
hoc salutare statutum neglexerit adimplere,
a sui executione Officii suspendatur. »
(37. Quæ tamen pœna Suspensionis non est
latæ Sententiæ, sed ferendæ secundum
Hostiens. in d. c. Olim in fine, Johannes
Andreas ibid. n. 7. et Fagn. ibid. n. 107. Et
sic intelligendum est decretum dict. Latera-
nen. Conc. sub Leone X. sess. 10. in Constit.
incip. Regimini, ibi: « Circa hoc autem
negligentes, pœnas in iisdem Canonibus
contentas se noverint incururos. » Et ita
pariter intelligendum venit Decretum Conc.
Trid. in d. sess. 24. c. 2. in fin. ibi: « Quod
si in his tam Metropolitanis, quam Episcopis
negligentes fuerint, pœnas sacris Canonibus
sancitas incurrant. » (38. Et ratio est, quia
præcæta Decreta relationem habent ad
pœnas a Jure statutas, ut intellexit Sac.
Congr. Conc. relat. a Fagn. loc. cit. sub n.
109. ubi cum inter alia quæsitæ, fuisset, ut
infra, dubitatum: « Tertio, dato quod cen-
seatur imposita (scilicet pœna Suspensionis)
an ipsa pœna, quæ secundum d. cap. sicut
olim, incurritur mediante sententiâ, hodie
ipso Jure incurrat propter illa verba d. c.
2. in fin. » ibi: « Pœnas sacris Canonibus
sancitas incurrant? » (39. Sac. Congr. « ad
tertium censuit per Concilium Tridentinum
non esse alteratum, nec immutatum modum
incurrendi pœnam d. c. sicut olim; quia
Concilium utitur illis verbis: Incurrant
pœnas sancitas, quæ nihil innovant. »

(40. Locus autem eligendus pro congre-
gando Concilio, debet esse commodus quan-
tum fieri potest omnibus, qui intervenire
debent, ut non fatigentur propter discrimina
itinerum; c. Quoniam quidem 7. dist. 18. et
ibi notat Præpositus num. 1. Henric. Bot-
tæus, de Synodo Episcoporum. p. 1. q. 10. n. 56.
et Fagn. in cit. cap. sicut olim n. 26. (41. Et
electio talis loci pro Concilio Provinciali ce-
lebrando spectat ad Archiepiscopum, qui
tamen cessantibus justis impedimentis, Me-
tropolitanam Ecclesiam, modo in ea adsint
commoditates ad id necessaria, relinquere
non debet. Sic censuit Sac. Congr. Conc. ut
refert Fagn. in d. cap. sicut olim n. 27. (42.
Concilium Provinciale postquam in loco in-
dicto est congregatum, solet celebrari per
spatium trium, vel quatuor dierum. Hos-
tiens. in c. Grave, de præbend. Nec potest
ultra Hebdomadam protrahi, nisi id exigenti-
bus negotiis imminentibus; Genuens. in
praxi c. 69. n. 13. Card. Petra loc. cit. n. 113.

(43. Quando in Concilio Provinciali Me-
tropolitanus est unius sententiæ, Suffraganei
autem omnes sunt alterius; quænam præva-
leat, et num consulendus sit Summus Pon-
tiffex? variant Doctores, et varia etiam fue-
runt vota Cardinalium Sacræ Congregationis
Concilii in Ulixbonensi circa tale proposi-
tum dubium. Die enim 10. Jan. 1577. (post-
quam die 11. Oct. 1576. censuerat amplius

deliberandum super hoc dubio) ex novem
qui erant congregati Cardinales, scilicet, Mor.
Column. Gess. Lancel. Alciat. Senon. Mont.
alt. S. Sixtus, et Caraffa; quatuor, nempe
Mor. Gass. Lancell. et Caraffa censuerunt
sententiâ Metropolitanam præferendam
esse sententiâ Suffraganeorum, quia illi habent
votum decisivum, et sunt Conjudices; alii
autem quatuor scilicet, Column. Alciat.
Senon. et Mont. alt. (nam S. Sixtus quid
sentiret non aperuit) dixerunt neutri senten-
tiæ adhærendum, nec Suffraganeorum, nec
Metropolit. sed absolute in quacumque causa
adeundum esse Papam. (44. Quia autem
Sanctissimus die 14. Jan. audita relatione
Congregationis, inclinavit potius in opinio-
nem illam, quod prævaleat Sententiâ Suffra-
ganeorum, et quia habent votum decisivum
et sunt Conjudices, et quia Doctores dicunt,
quod debet Metropolitanus statuere de consi-
lio, et assensu eorum, seu majoris partis,
ut refert Fagn. in d. c. sicut olim 25. de ac-
cusationibus num. 24. et 104. tenendum est,
in tali casu prævalere sententiâ Suffraganeorum,
ut colligitur ex c. ne Episcopi 7. de
temporibus ordinat. ubi dicitur, quod Metro-
politani debet consentire majori parti suo-
rum Suffraganeorum, ibi: « Quod si inter
partes aliqua dubitatio fuerit, majori numero
Metropolitanus consentiat. » Ita Hostiens.
in c. 1. de libell. oblat. ad fin. Jacobat. de
Concil. lib. 6. art. 2. vers. Nemo faciat, Na-
varr. cons. 1. de his, quæ sunt a Prælati sine
consens. Capit. Bottæus de Synodo p. 3.
n. 137. Genuens. in cit. prax. c. 89. num. 4.
Quaranta loco cit. quæst. 29. Fagn. loco cit.
n. 71. et alii. (45. Sententiâ tamen debet
nihilominus pronunciari nomine Archiepi-
scopi de consilio, et consensu Suffraganeorum;
Card. Hostiens. et Zabarell. in cap.
Grave de præbend. num. 6. Jacobat. de Con-
cil. l. 3. art. 8. fol. 288. c. sicut, de accusat.
et c. Sane d. 67. (46. Si vero Archiepiscopus
dissentiat pronuntiare sententiâ ab ipso
non approbatam, tunc recurrendum est ad
Summum Pontificem. Quaranta loco cit.
quæst. 30. Petra loco cit. n. 73. et alii.

(47. Concilium Provinciale nequit dissolvi
ab Archiepiscopo solo sine consilio, et as-
sensu, seu voto Suffraganeorum. Ita decisum
fuisse a Sacra Congreg. Conc. refert Fagnan.
in dict. cap. Sicut olim, de accusat. num. 98.
(48. Completo, et dissoluto Concilio Provin-
ciali de communi consensu, tenentur Epi-
scopi infra sex menses publicare in suis
Diocesis Conciliaria statuta; textu ex-
presso in cap. Decernimus 17. dist. 18. (49.
Non tamen debent publicari inconsulto Ro-
mano Pontifice, ut declaravit Sacra Congre-
gatio Concilii in Januensi 14. Junii 1573. his
verbis: « Decreta, quæ in Conciliis Provincia-
libus conduntur, non debent publicari in-
consulto Romano Pontifice. » (50. Debent
enim Concilia Provincialia prius recognosci,
et approbari a Summo Pontifice, seu a Sacra
Congregat. Concilii, ut est dispositum a
Sixto V. in Constitut. incip. Immensæ de
Institutione Sacræ Congregationis Concilii.
ibi: « Provincialium vero (Synodorum) ubi vis

terrarum illæ celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet. eaque singula expendet, et recognoscet; » et sic declaravit ipsa Sac. Congreg. Conc. in *Januens. de anno 1573. et in Hostiens. de anno 1586.* (51. Et de facto sic servat Praxis, quod Concilia Provincialia a Sacra Congregatione Concilii approbentur. (52. Nec tamen per istam approbationem, quæ fieri solet a Sacra Congregatione Concilii, ipsa decreta Conciliaria obligant extra Provinciam, ut decisum fuisse ab ipsa Sacra Congregatione Concilii refert Sellius in *selectis Canonis, cap. 25.* et Barbosa ad *Tridentin. sess. 24. cap. 2. n. 2.* (53. Bene vero obligant omnes Subditos Provinciæ, et contra inobedientes Juris remediis est procedendum, cum afficiant omnes de Provincia; *cap. cum. omnes, de Constitutionibus, et expresse Tridentinum dict. sess. 14. cap. 2.* præcipit Episcopis, ut observent, et faciant observari talia Conciliaria Decreta, ibi: « Et quæ ibi ordinata fuerint, observent, et observari faciant. » Et Sacra Congregatio *sub die 6. Aug. 1695. in una Montis Morani executionis decretorum* mandavit exequenda esse Decreta Conc. Provinc. Beneventani in dicta Diocesi; et Rota in *Cracovien. exemptionis 16. Jan. 1689. § Illud, cor. Card. Caccia.* (54. Immo Decreta Conciliaria Provincialia ligant etiam Episcopum Successorem, licet sit elapsum decennium ab ultima Synodo Provinciali, ut fuit decisum in *una Marsicana.* (55. Non tamen hæc decreta obligant ad culpam, sed ad penam, nisi specialiter ad culpam obligare declaraverit ipsum Concilium; Concil. Toletan. XXI. *cap. 2. Petra loc. citat. num. 120.*

(56. Conciliorum, et Synodorum celebratio Episcopis juxta Concil. Trid. dispositionem efficaciter suadetur; *Benedict. XIV. tom. 2. Const. 28. incip. Quamvis § 5. et Const. 31. incip. Singularis § 2.*

ARTICULUS III.

Concilium episcopale, seu synodus diocæsanæ.

(1. Synodus ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cætus, textu expresso in *c. Canones dist. 15. vers. Synodus*, ibi: « Synodus autem ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cætus. »

(2. Synodus Diocæsanæ est celebranda singulis annis ab unoquoque Episcopo in sua Diocesi. Sic expresse statuit Concilium Tridentinum *sess. 24. de reformatione cap. 2.* ibi: « Synodi quoque Diocæsanæ quotannis celebrentur (1). » Potestque celebrari etiam extra Ecclesiam, ex *Monacell. tom. 1. tit. 5. formul. 3. num. 7. Bott. Massobr. ibi citatis.* (3. Et si necessitas postularet, posset Synodus Diocæsanæ etiam sæpius in anno celebrari. Barbosa ad *Conc. cit. sess. 22. cap. 2. n. 17. et p. 5. de Offic. et potestat. Episcop. alleg. 93. num. 2. Ugolin. de Offic. Episcop. cap. 48. num. 3.* et alii per textum in *cap. De Conciliis 2. dist. 18.*

(4. Episcopus non celebrans singulis annis

(1) Vide infra n. 72, et seqq.

Synodum Diocæsanam incurrit pœnas a jure statutas. *Sacra Congregatio Concilii 26. Junii 1621.* Episcopus omittens sine causa celebrare quotannis Synodum de jure communi est suspendendus ab executione Officii *ex cap. Sicut olim, de accusationibus. Sac. Congreg. Conc. 21. Mart. 1590.* apud Pignatell. *tom. 4. consult. 132.* Barbosa ad *Conc. loc. cit. n. 18.* Gavant. in *manual. Episcop. verb. Synodus n. 5.* Vide infra n. 86, et seqq.

(5. Episcopus duarum Civitatum unitarum debet in utraque Diocesi alternative Synodum celebrare, nec Capitulum unius Cathedralis cogi potest, ut accedat ad Synodum alterius. *Sac. Congreg. Conc. in una Civitatis Castellana, et Hortana 9. Januarii 1624.* et sæpius alibi Pignatell. *tom. 4. consult. 132.* Hinc eadem *Sac. Congr. Conc. in Valven. et Sulmonen. 3. Septem. 1650.* declaravit, quod in qualibet Civitate deputandi sunt examinatores Synodales distincti ab illis, qui deputantur in altera Civitate; et quod Episcopus pro causis Diocæsanarum unius Diocesis deputare debeat Vicarium Generalem in illa Diocesi; ac etiam quod Clerici unius Diocesis delinquentes debeant ibidem in carcerem condi, et non transmitti ad carceres alterius Diocesis. Sic apud Pignatell. *loc. cit.* ubi insuper adducit ad rem alia Decreta Sac. Congr. Episcoporum.

(6. Afferuntur ad idaliæ novissimæ Resolutiones Sac. Congregationis Concilii, nempe, in *Ampuriens. Synodi*, ubi ita habetur: « Approximante tempore celebrationis Synodi, Episcopus, stante quod Ampuriensis Diocesis unita sit æque principaliter Civitatensi Diocesi, nulla in hac parte suffultu consuetudine, supplicat ab Eminentissimis VV. edoceri... I. An ipse teneatur celebrare Synodum in utraque Diocesi, et quatenus negative, II. An renuentibus Civitatensibus accedere ad Cathedralium Ampuriensem, eos juris remediis ad accessum, et ad Synodi observantiam compellere possit? » Et *Sac. Congreg. 8. Maji 1694.* respondit: « Ad I. Affirmative alternatim. Ad II. Negative, » ut in *libro 44. Decret. pag. 212.* Et in *Geruntinen. et in Cariatens. Synodi et Graaminum: Cum Capitulares, et reliqui de Clero Geruntinen. ad Synodum per Episcopum indictam, et in Civitate Cariatensi habitam, non accessissent, tum ob itineris incommodum, tum etiam quia Ecclesiæ Geruntinen. et Cariatens. fuerint inter se accessorie unitæ, reservata tamen præ eminentia Geruntinensi, inter cætera disceptata fuerunt hæc dubia: « I. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariatens. sustineatur? » Et quatenus negative. « II. An liget Diocesi Geruntinam? » III. An Censuræ ab Episcopo fulminatæ contra Canonicos Geruntinos sustineantur? » Et *Sacra Congregat. die 7. Octobr. 1706.* respondit: « Ad I. Affirmative. Ad II. et III. Negative. » Sed proposita causa sub Dubio: *An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisio sub die 2. Octobris 1709. in casu, etc. Die 1. Febr. 1708.* rescripsit: « Ad I. In decisio. Ad II. prævio recessu a decisio, Affirmative. Ad III. usque ad ultimum, in decisio, » ut in *lib. 58. decretat.**

pag. 53. Et in *Matheranen. et Acheruntina Synodi*, ad sequentia dubia. « I. An licitum sit Archiepiscopo Matheranensi, et Acheruntino convocare Synodum Diocæsanam in Civitate Matheræ pro utraque Diocesi, seu potius eam celebrare teneatur in Civitate Acheruntina? » Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad secundam. « II. An idem Archiepiscopus compellere possit Ecclesiasticos dictæ Civitatis, et Diocesis Acheruntinæ ad interveniendum prædictæ Synodo in casu, etc. » *Sac. Congreg. 24. Martii 1736.* respondit: « dilata non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam indictæ in Civitate Matheranensi sine præjudicio jurium ambarum partium. » Sic apud Thesaurum Resolutionum Sacræ Congregationis Concilii *tom. 7. in d. Matheran. et Acheruntina Synodi*, in cujus causæ expositione refertur etiam sequens Decretum in *Pennen. et Adrien.* ubi eadem Sacra Congregatio *die 26. Julii 1647.* respondit: « Synodum ab Episcopo congregatam, et celebratam in Civitate Pennen. quæ ratione alternativæ celebranda erat in Civitate Adriensi, non esse abolendam, sed acriter corripiendum Episcopum, et faciendam declarationem, quod hujusmodi celebratio nullo modo præjudicet Civitati Adriensi ratione dictæ Alternativæ, prout hæc Sac. Congr. declarat, ut in *lib. 18. Decret. pag. 367.* » Vide infra n. 78. seqq.

(7. Episcopus nondum consecratus, si Bullas expedit, potest Synodum convocare. Gavant. in *Manual. Episc. verb. Synodus Diocæsanæ n. 1.* Massobrius *de Synodo Episc. c. 2. dub. 1. n. 9.* Barbosa ad *Conc. loc. cit. n. 20. et citat. allegat. 93. post. n. 3.* cum aliis ibi citatis.

(8. Archiepiscopus non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii. Sic expresse Gloss. in *cap. Pallium 6. verb. Misarum dist. 100.* ibi: « Et in Synodo etiam uti valet, sed non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii; » Pirhing. in *Jus Canonicum tom. 1. l. 1. tit. 8. n. 11.* Azorius *Instit. moral. par. 2. l. 3. c. 34. qu. Card. Petra tom. 5. Commentar. ad Constit. Pii II. num. 31.* et alii cum Barbosa *cit. allegat. 63. per text. in c. Quod si ut § Super eo, de election.*

(9. Synodus Cleri Romani convocari potest ab Eminentissimo Cardinale Urbis Vicario, ut actum fuisse liquet in præmio statutorum Cleri Romani impressorum, et expresse data fuit facultas a Paulo III. *Const. 36. a 10.* ibi: « Synodum in Romano Clero pro correctione malorum morum, et pro necessitate, juxta temporum opportunitates in Clero occurrentes, ubi, et quando libuerit celebrandi, et congregandi, statuta, et ordinationes, seu Constitutiones pro tempore observandas edendi. » Sic *Card. Petra tom. 5. Comment. ad Constit. 1. Pauli II. n. 64.*

(10. Vicarius Generalis Episcopi absque ejus speciali mandato non potest Synodum Diocæsanam convocare. *Sac. Congr. Conc. 11. Aug. 1688.* apud Sell. in *Selectis Canonic. cap. 25. n. 31.* Barbos. ad *Concilium l. c. n.*

21. et tenem passim Doctores. Vide verb. *Vicarius Generalis art. 2. n. 20.*

(11. Vicarius Capitularis, Sede vacante potest, immo debet Synodum congregare; in illum enim transfertur jurisdictio Episcopalis. Sic decisum fuisse a *Sac. Congregat. Concil.* refertur *Garcias de Benef. part. 9. c. 2. n. 8.* *Card. Petra tom. 5. Comment. ad Constit. 4. Callisti III. sect. 2. n. 113.* Gavant. *l. c. verb. Synodus Diocæsanæ n. 2.* Barbosa ad *Concilium loc. cit. n. 22.* et ad id teneri docent *Sbroz de Offic. Vicar. lib. 2. qu. 3. in addit. sub n. 5.* Pavin. *de potest. Capituli Sede vacante part. 1. quest. 9. vers. Ex præmissis et qu. 10.* *Bottæus de Synodo part. 1. q. 6. n. 40.* *Massobrius loco cit. c. 2. dub. 4.* Barbosa *cit. allegat. 93. sub num. 4.* et alii.

(12. Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores non possunt congregare Synodum, nisi habeant copulative tria requisita, scilicet Territorium vere separatam cum Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, et populum, et speciale Indultum Apostolicum cum subsequuta consuetudine. Barbosa ad *Concil. Trident. sess. 24. de reform. c. 18. n. 45.* *Card. de Luca ad Concil. disc. 30. n. 12.* *Lotter. de re Benefic. lib. 2. q. 31. num. 88.* et plurimi alii citati a *Card. Petra tom. 5. Comment. ad Constit. 4. Callisti III. sect. 2. n. 114. et 115.* ubi ad id refert plura *Decreta Sac. Congreg. Conc.* Vide ibi multa ad rem.

(13. Episcopus justo aliquo impedimento detentus potest Synodum congregare per alium. Sic decisum fuisse a *Sacra Congregat. Concilii* referunt *Ugolinus de Offic. Episcop. cap. 48. n. 3.* Barbosa ad *Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 2. num. 19.* et *cit. allegat. 43. n. 3.* ubi dicit, quod id innuit ipsummet Concilium *cit. cap. 2.* dum inquit, *Synodi Diocæsanæ quotannis celebrentur*, indeterminate enim loquitur, et non speciatim mandat Episcopis, ut ipsimet Synodum congregent, adeoque per alios possunt. Ita enim *Piasec. in praxi. p. 2. c. 2. n. 1.* et alii.

(14. Si in Diocesi sit constitutus Vicarius Apostolicus, ad ipsum solum, et non ad Episcopum pertinet congregare Synodum, et facere concursum, quia Episcopus non habet nisi administrationem Ordinis. *Sac. Congreg. Episcop. in Lycien. 9. Jun. 1608. et in Bisitanen. 16. Maii 1653.* apud *Piton. Constit. et decis. ad Episc. n. 1205.*

(15. Non est ordinarie convocanda Synodus, nisi prius expleta fuerit Visitatio Generalis Diocesis; ipsa enim prævia Visitatio videtur necessaria, ut opportuna remedia malis, et pravis consuetudinibus, ac corruptelis, quæ in Diocesi sunt, possint applicari. *Crispin. de Visit. p. 3. § 18. n. 4.* *Pax. Jord. Lucubrat. tom. 2. lib. 8. tit. 2. n. 9.* *Monacell. l. 1. tit. 5. formul. 3. n. 2.* et alii.

(16. Debet autem Synodus fieri ante Visitationem, quando habita non fuit a multo tempore. *Sac. Congr. Episc. in Tarentina 24. Oct. 1586.* apud *Nicol. in Flosculis Verb. Synodus n. 2.*

(17. Episcopus in convocatione Synodi non tenetur consilium Capituli requirere,